

ceti : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, Jonas II. Hæc tribulatio frænum est, quo coeret Deus equos illos a cursu suo; quod eis precatur David, Psal. XXXI. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus; in campo et fræno maxillas eorum constringe.* Celtiberi equos suo, in campo stare solos cogunt, infixi in eorum dorsa clavo quem in extremo loro appensum gerunt, ut alibi notavi : Deus quoque libertinis illis clavum vexationis alicujus adigit in carnem vel animum ipsorum, et tum inhibent cursum suum. Talpa, Aristotele attestante, dum vivit, cæca est, morti proxima oculos aperit; formica etiam tunc primum alas induit, cum morti appropinquat, uti refert Cardanus, lib. IX. de subtilit. ita qui in prospera valetudine, velut cæci in hoc mundo oberrant, et velut talpæ terram profodientes, omnia prata percurreunt ac devastant, velut formicæ toti in congregandis opibus se fatigant, etc. tanguntur interdum adversa valetudine, et appropinquant ad portas mortis; ibi aperiunt oculos, agnoscunt mundi vanitatem et errores suos, ibi cælum cogitant et alas pœnitentiæ ad evolandum parare incipiunt, tametsi quandoque tarde nimis. Sed neque omnibus ita occurrit Christus, uti huic adolescenti, ut perversum illorum cursum inhibeat. Ideo Dominus non dixit : Dico vobis, adolescentes : Surgite; sed : *Adolescens, tibi dico : Surge. Tibi, non omnibus hoc dico aut dicturus sum : Tibi, propter lacrymas matris tuæ : tibi, propter ædificationem populi circumstantis : tibi, ex singulari privilegio, quia mihi occurristi. Hæc occasiones non semper ad manum sunt, unde nec tales gratiæ omnibus contingunt.*

V. Ecce tibi mundum, quorsum ablegat homines defunctos? Quos viventes coluit, amavit, honoravit; mortuos expellit, et foras in terram eiecit et sepelit, velut carcinomata. Hoc nimirum retribuit suis cultoribus, hanc mercedem dat; fere ad eum modum, quo ditiores usurpant poma aurea, quæ prius applicant naribus, odorantur et contemplantur, postea ad mensam expriment in cibos, et ubi eorum succum hausere, eieciunt per fenestras. Ita etiam sectatores suos mundus primo admiratur, extollit, amat, veneratur : ad extremum tamen morientes deplumat, nudat, spoliat; spoliatos domo eiecit, affertque in sepulcrum; et si multum præstat, eousque comitatur; defossos vero deserit et æterna oblivione sepelit : neque enim eos a morte præservat, aut reservare potest, multo minus resuscitare. Quis jam tali domino serviat? Quam bonum est vicissim servire Christo Domino, qui imprimis sectatores suos, etsi per mortem nudatos rebus fluxis, divites tamen educit bonis

veris et spiritualibus, quæ comitantur pios usque ad sepulcrum alteramque vitam. Deinde, morti imperat et defunctos suos resuscitat ad vitam interminabilem. Illi igitur sunt, qui strunt ædificium super arenam, quod inundationis tempore totum subruitur, sternitur, abripitur; isti vero sunt, qui ædificant supra petram, quorum domus stabit, etiamsi torrens mortis in eam incurrat, quia supra virtutes et Dei gratiam fundata est. Sed subit hic admiratio, cur cadavera quidem homines e civitatibus eieciunt et foris in terra sepeliunt : peccatores vero perversos, pessima fama notatos, adeoque cadaveribus longe putentiores non eieciunt, sed foveant. Dicent illi a cadaveribus periculum imminere civitati, ne fœtore suo auram inficiant, indeque pestem inferant. At nonne ex perversis et infamibus hominibus pestis longe gravior, adeoque pestilentior, imminet aliis civibus, qui circum illos degunt? Quam facile enim unus improbus pervertit alios plures? Miratur hoc D. Chrys. in Psal. V. scribens, qui etiam hinc concludit non tolerandos in communitate qui scandalosa, turpia et cadaverosa verba ex ore suo depromunt : « Si enim mortua, inquit, corpora extra urbem sepelimus; multo magis eos, qui verba mortua, et qui talia (cædes et rapinas) proferunt, et ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet. Hujusmodi enim ora sunt communis civitatis pernicies. »

VI. Ecce tibi defunctos non plangendos immoderate, quorum resurrectio ad gloriam speratur. Ita enim monet Dominus, dum viduæ ait : *Noli flere, et quasi rationem reddens, quare non esset defunctus ille deplorandus, accessit et tetigit loculum dicens : Adolescens, tibi dico : Surge, quia scilicet ab ipso brevi esset ad vitam revocandus.* Unde S. Ambros. in hunc locum ait : *Flere prohibetur eum cui resurrectio debebatur.* Non est tamen condemnandus susceptus pro mortuis luctus, si sit moderatus : magis tamen probandus pius succursus, quo a pœnis, si quas incurserunt, eripiantur, uti docet S. Chrys. hom. XXI. in I. ad Cor. « Niti, inquit, decet, ut juvetur (defunctus) non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temere hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus. » Medimus, pro istis Agnum illum jacentem et peccata mundi tolerantem deprecantes, sed ut his consolatio aliqua sit. » Exemplo hoc confirmat Thomas Cantiprat. lib. II. apud, c. LIII. « Avia mea, inquit, filium primogenitum habuit indole insigni, et decore præcipuum, quo mortuo inconsolabiliter doluit, dumque sic filium lamentaretur, apparuerunt ei

juvenes in via quadam, ut visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes; cumque memor filii eum inter illos non esse videret, et fleret, ecce post alios filium lento gradu subsequentem agnovit. Cui mater cum gravi dolore dixit : Et quid est, fili, quod solus et non cum aliis graderis retardatus? Cui ille in toga laterali magnum aquæ pondus ostendens : Ecce, inquit, mater lacrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prosecutione retardor. Ad Deum ergo lacrymas commutabis, et in præsentia sacrificia corporis Christi cum eleemosynis pauperum pro me corpium et devotum effundas, et tunc liberabor ab incommodo quo nunc gravor. » Ex qua historia discimus, non tam lacrymis, quam piorum operum suffragiis parentandum esse defunctis; quod etiam confirmatur exemplo S. Lidwigi, quæ, cum mortem Petronillæ, neptis suæ, acerbius flevisset, Domino displicuit, et in pœnam immoderatæ tristitiæ solita consolatione divina ad dimidium fere annum spoliata fuit; unde edocta postea cautius se gessit in morte patris, luctum et dolorem prudenter moderando, ut in ejus vita Joan. Brugmannus, l. II. c. X. apud Sur. 14. april. Audiant hoc mulieres, in quas Div. Chrys. hom. viges. oct. in I. ad Cor. invehitur : *Quæ tam stulte, inquit, afficiuntur, ut infideles luctus magnitudine superent.* Rectius lugendum suadet idem s. pater, quando propinqui cadunt in peccatum, et in eo moriuntur : « Luge, plora peccatorem, inquit hom. XXI. in Acta apostolorum, et ego deducam lacrymas, et ego magis quam tu : quanto et majore supplicio obnoxius ille, et ego plorabo tali animo. Non te autem solum oportet plorare, sed et civitatem totam et omnes occurrentes, tamquam eos qui ducuntur ad mortem. Vere enim mors illa mala est, mors peccatorum, etc. » Certe Heli summus sacerdos non ad nuntium de filiorum cæde, sed de arcæ captivitate exanimatus est, corruit et expiravit, I. Reg. IV. majus damnum reputans arcæ amissionem, quam mortem filiorum; simul etiam docens magis deplorandam esse jacturam boni spiritualis, quam corporalis, adeoque etiam animæ unius in captivitatem dæmonis abductæ, quam integri exercitus deleti. Hinc illud Sapientis, Eccles. c. XXII. v. XIII. *Luctus mortui septem dies, fatui autem et impii omnes dies vitæ illorum, quasi dicat : Corporis funeri sufficit modicus luctus; funeri animæ, in peccatis mortuæ non sufficit tota vita.* Ita S. Aug. ser. XIII. de sanctis (ad fin. tom. X.) *Non in te sunt viscera miserationis, ut plangas corpus, a quo discessit anima; et non plangas animam, a qua recessit Deus? Ad*

illam mortem igitur spectat quod ait Christus in hod. evang. ad viduam : *Noli flere, ad hanc vero quod dixit ad mulieres eductus ad Calvariæ montem : Flete super vos ipsas et super filios vestros, quia venient dies, etc.*

CONCIO II.

VERE PœNITENTIÆ INDICIA.

I. Si a peccatorum lecto surgat. — II. Si incipiat loqui et se accusare. — III. Si ambulet ad Christum.

THEMA.

Resedit qui erat mortuus, et cepit loqui, et dedit illum matri suæ. Luc. VII.

Defunctus hic adolescens secundum glossam ord. ven. Bedæ : *Significat hominem lethali criminum funere soporatum (ait Beda), eandemque insuper animæ mortem non cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum notitiam per locutionis operisve indicium, quasi per suæ civitatis ostia, propalantem.* Notum ergo et publicum peccatorem indicat, verum sicut mortuus, ut credatur vere ad vitam resuscitans, signa vitæ ostendere debet; ita et peccator publicus per certa pœnitentiæ indicia, fidem aliis faciat, de vera et sincera sua pœnitentia. Conatus fuit Simon ille magus adolescentem, Neronis propinquum, magicis carminibus a morte ad vitam suscitare; et jam videbatur agitare caput adolescens : verum S. Petrus, qui tunc præsens erat, vitæ indicia exposcit : *Si resuscitatus est, inquit, surgat, ambulet, fabuletur.* Quorum nihil exhibere poterat defunctus, apud Hegesippum, lib. III. excid. Jerosol. cap. II. At vero hodiernus adolescens a Christo suscitatus omnia hæc signa adamussim demonstrat. Eredit se et resedit, locutus est, ambulavit ad Christum suscitatore suum, deinde ad matrem suam. Quare et ego, auditores, tum denique certus ero et persuasum mihi habeo, peccatorem a morte animæ, seu peccatis, ad vitam gratiæ resurrexisse, si per similia indicia se vivere ostendat, si mentem in Deum erigat, si verbis Deum loquatur, si opere et conversatione ambulet ad Deum. Hæc igitur nunc investigemus.

I. Si erigat se e lecto peccatorum et resideat, mentemque sursum erigens. Primo, agnoscat miserum et periculosum statum, in quo prius jacuit alto sopitus somno, agnoscat iniquitatem suam, quod uti omnino necessarium, ita indicium est animi pœnitentis. Joseph patriarcha

tum demum aperuit se fratribus, et exhibuit gratiam fraternam, imo vere paternam, postquam illi poenitentiae suae de patrato in eum scelere vitaeque in melius commutatae varia praebeuerunt testimonia, Genesis XLV. Similiter et Deus non offert suam peccatori gratiam, nisi ipse prius agnoscat suos lapsus, eorumque foeditatem ac gravitatem. Ita imprimis S. Ambrosius, in epistola ad lapsam quamdam: «Poenitentia sic agitur: si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, et de quo libro vitae nomen tuum deletum sit, et si te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum et stridor dentium sine fine. Ergo haec tu tecum cogitans et mente retractans, proprii facti tu ipsa iudex esto crudelior.» In hunc finem vult D. Gregor. Nyssenus, in vita Moysis, factas a Deo et indutas Adamo et Evae tunicas pelliceas, ut earum aspectu peccati sui memores, intelligerent se, qui ad divinam aspirarent similitudinem, superbiendo induisse belluinam; sicque disponentur ad poenitentiam. Quin et ipsimet protoplasti suae transgressionis videntur semetipsos voluisse admonere, quando sibi ex foliis ficus, utique illius, de qua fructum decerpserant velitum, fecerunt perizomata, ut eorum aspectu agnoscerent delictum suum, et per hoc cum Deo in gratiam redirent. Quando enim peccator sibi incipit displicere, ibi Deo placere incipit. Imo S. Chrysostomus, homil. IX. in epist. ad Hebr. putat, hoc initio facto, rem quasi jam confectam esse: «Si enim hoc esset, inquit, (si nimirum veniremus) omnia perficeremus. Sicut enim janua ingressus, jam intus est: sic qui propria cogitat mala, etiam ad curationem eorum utique veniet. Si autem dicat: Peccator sum, non autem ad peccatorum suorum species descendat, dicens: Quia hoc et hoc peccavi, nunquam cessabit semper quidem confitens, correctionis vero curam nunquam faciens. Si enim principium posueritis, utique etiam caetera consequentur, etc.» Idem confirmat homil. XLI. ad pop. «Si nos peccati non recordemur, Deus ipsius non obliviscetur; si nos ejus meminerimus, Deus obliviscetur: a nobis ipsis ultionem sumamus, nos ipsos accusemus: ita placabimus iudicem.» Illustre exemplum praebuit haec in re Thais illa poenitens, quae triennio inclusa, cum egredi juberetur a Paphnutio abbate, qui ex visione Pauli abbatis cognoverat remissa ipsi peccata, respondit ei: «Testor Deum, quia ex quo hic ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, et non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens.» Cui Paphnu-

tius: *Non propter poenitentiam tuam* (qua scilicet corpus afflixisti in cella) *remisit tibi Deus; sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo,* apud Rosweid. in vitis patrum, libro. I. Nam, ut ait Div. Chrysostomus, sermone de poenitentia: «Sicut ignis, qui in spinas inciderit, facile ipsas absumit; ita cogitatio, qua continue in seipso omnia versat peccata, quae a juventute fecit usque ad senectutem, ea exuit.» Porro hanc recordationem et agnitionem peccatorum, dolor et detestatio comitari debet, ut jam quod nomen prius male amavit, odio prosequatur: quomodo Hebraei, abjectis diis alienis, Balim et Astaroth, convenerunt in Masphat, hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini, I. Reg. VII. Masphat *speculationem* seu *judicium* significat; et bene ad propositum: qui enim sua scelera vere speculando cognoscit, necesse est ut ea recte indicando condemnet. Quare si peccator ita abjiciat peccata, sicut illi abjecerunt idola, et postea effuderunt aquam in signum execrationis (ita sentit Dyon. Carth.) ut sicut aqua effundebatur, ita sanguis eorum, qui ad idololatriam redirent, effunderetur; satis luculentum dabit indicium verae et sincerae poenitentiae. Ratio est, quia dolor et detestatio est antidotum peccati, confectum ex ipso peccato: sicut theriaca confecta ex viperæ veneno, oleum scorpionis ex ipso scorpione, delent eorum venena. Unde D. Chrys. hom. V. ad pop. «Tristitia tantum facta est propter peccatum, a quo nata, ideo ut tinea ipsum corrodit et consumit.» Ubi igitur uti coeperis hoc pharmaco, ibi signum das poenitentiae.

II. Si incipiat loqui et fateri atque accusare peccata sua. Tunc enim, quando incipit humiliter se accusare, Deus incipit illum misericorditer excusare. Hac ratione stravit sibi viam ad veniam Lamech; quando, patrato homicidio, convocavit duas uxores suas, et dixit eis: *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum,* Genes. IV. Hinc enim jam e lapsu coepit erigi; imo, ut Diodorus, in catena veterum patrum Graecorum, eo loco ait: *Lapsus iudicium est, neque de poenis agitur, propterea quod ingenuus peccasse fatetur. Cumque ipse sibi calculum tulisset damnationis, absolutionem meruit a Deo.* Hujusmodi indicium dedit David, quando redargutus a Nathan semet accusavit: *Peccavi Domino,* et nullo modo excusavit, multo minus negavit; propterea mox audiit a Nathan: *Domini quoque transtulit peccatum tuum,* II. Reg. XII. Similiter, quando ob numeratum populum dolens dixit: *Peccavi valde in hoc facto, sed deprecor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis,* II.

Reg. XXIV. Tale et Hebraei, quando, abjectis idolis, hauserunt atque effuderunt aquam dicentes: *Peccavimus Domino,* I. Reg. VII. Hoc etiam videntur sibi voluisse duae filiae Loth, quando filiis suis ex incestu genitis, nomen alteri Moab, h. e. *ex patre meo,* alteri Ammon, h. e. *filius generis mei,* indiderunt, Gen. XIX. Cum enim ex sententia. D. Aug. lib. XXII. contra Faustum, c. XLII. graviter deliquerint, videntur, poenitentiae vi adductae, sua peccata in filiis accusare et traducere voluisse, indeque veniam obtinuisse. Vim hanc accusationis propriae ad delenda peccata designavit, juxta D. Ambros. lib. IV. in Lucam, cap. V. piscis ille, qui primo ad hamum Petri ascendit, et didrachma in ore id gestavit. Eecur enim non in visceribus, sed in ore id gestavit? Respondet ad hoc Ambrosius: «Non otiose more piscis inventum; ex ore enim tuo justificaberis. Etenim pretium immortalitatis est nobis nostra confessio. Ore enim confessio fit ad salutem.» Sic ille. Propria igitur peccati accusatio, praesertim in sacramento poenitentiae, quasi didrachma et pretium est, hominum exsolvens a tributo, quod alioquin divinae justitiae pendere deberet. Unde S. Chrys. in Psal. CXL. y IV. peccati confessionem appellat a delictis solutionem *Cum seiret diabolus,* inquit: *peccati confessionem esse peccati solutionem, persuadet animae, ut sit egregie impudens;* ad excusandas, scilicet, excusationes in peccatis, ut in psalmo dicitur; de quibus subdit Chrysostomus. «Haec est via precipua interitus, quando vel ipsa quae peccavit, animae excusso timore, excogitat excusationes et praetextus quosdam ad ignaviam; vel etiam quando cum quispiam adulteravit, volens alius ejus compunctionem excutere, dicit: Numquid tu causa es? Causa est cupiditas.» Quemadmodum ergo peccati excusatio via est ad interitum, ita accusatio via ad salutem. Ratio est, quia: *Ex abundantia cordis os loquitur;* quando igitur homo peccatum suum accusat, manifestum praebet indicium, se in animo id detestari. Quare, sicut vomere crudos et noxios cibos qui stomachum onerabant, signum est purgationis et secuturæ mox sanitatis; ita peccati accusatio signum est salutaris poenitentiae, et obtentae vel mox obtinentae remissionis. E contra peccatum negare, excusare, occultare, extenuare signum est impoenitentis in peccatis morituri. Eva quidem et Cain, mater et filius, lethale crimen incurrerunt; hic tamen aeternam subiti supplicium, illa evasit: rationem discriminis dat Ambros. I. de paradiso, cap. XIV. «Ideo, inquit, non desperata mulier, quae non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicinalis secuta sententia

est. Cain, quia voluit crimen negare, indignus iudicatus est, qui puniretur in peccato, etc. Ideo accusatori diabolo ejus accusatio reservata est.» Peccavit Saul, peccavit et David: sed ille gratiam non invenit, quia peccatum suum excusavit; hic invenit, quia suum accusavit.

III. Si ambulet, et quidem, ad Christum; ad quem etiam mox venerandum accessisse hunc adolescentem, satis ex eo colligitur, quod dederit eum Dominus matri suae; non potest autem dare quis, quod ipse non habuit. Itaque se Christo donasse videtur adolescens, velut alteri patri et vitae suae datori. Qui praeter interna, externa quoque poenitentiae argumenta praese fert, jam censetur ambulare secundum animam, et quidem ad Christum; vivere ergo se in Dei gratia ostendit. Tale indicium poenitentiae, et quidem verae (ut sentit D. Hieron. in epitaphio Fabiolae, et S. August. in serm. LVIII.) praebuit Achab rex, quando, denunciata sibi mortis sententia: *Scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque dormiens in sacco, et ambulavit demisso capite.* Mox enim Deus, quasi placatus, ad Eliam dixit: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus,* III. Reg. XXI. Fuit igitur hic lugentis habitus signum verae poenitentiae, quia fuit signum animi coram Deo se demittentis et majestatem ejus reverentis; unde D. Hieron. epistola XLVI. ad Rusticum, ita legit textum illum: *Quomodo reveritus est Achab faciem meam.* Deus enim sicut offenditur superbia, ita placatur humilitate, quae restituit ei gloriam suam, quam alteri non dabit. Et notandum est, quod Deus ex illo ipso poenitentis habitu conatur persuadere Eliam, ut et ipse parci velit regi, velut jam ex animo poenitenti. Idem indicium praebuerunt Ninivites, cum induti saccis, cinere se consperserunt et jejunaverunt, etc. sic enim Dei iram sedarunt. Ea namque cineris aspersione exhibere se velut mortuos volebant, ut qui nec possint nec velint se opponere Deo sibi irato.

Eodem spectat pudor, quem vultus demissione peccator testatur, indicat enim se indignum esse, qui faciem ad Deum ac caelum levat; quod est quasi supplicium sponte assumptum ad puniendum et eluendum peccatum. Eo indicio demonstravit suam poenitentiam Publicanus, et in oratione sua Manasses, necnon filius prodigus, dicentes, quod jam non essent digni, qui caelum aspicerent. Ruben etiam primogenitus Jacob, ob incestum suum poenitens et confusus, fatetur in libello, qui testamentum duodecim patriarcharum inscribitur et habetur in biblioth. pp. tom. III. «Usque ad mortem nostri non habebam

fiduciam aspiciendi in faciem Jacob, vel loquendi alicui fratrum propter opprobria; et usque nunc cruciat me conscientia mea de peccato meo. Ex tunc igitur custoditus sum et non peccavi. » E contra non erubescere de peccato, impœnitentis signum est, juxta id Jer. III. ̄ III. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Unde S. Gregor. in Psal. I. pœnitent. ait: « Illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequatur peccatum. » De illis Ezech. c. II. dicitur: *Filii dura facie et inſomabili corde, hoc est, impudentes, quia: Non erubescerant neque illos pudebat scelerum,* ut ait Theodoretus.

Ad eundem habitum spectant lacrymæ, quæ et ipsæ luculentum pœnitentiæ sunt indicium. Indicium enim sunt amoris erga Deum, quem dolent esse offensum. Ita enim Judæi ex lacrymis Christi super morte Lazari fuis colligebant ejus in ipsum amorem: *Ecce quomodo amabat eum!* Joan. XI. Ad amorem enim spectat dilecti damna sentire ac pro eis dolere. Sunt autem peccata quædam damna Dei, quo modo in eum cadere possunt; quia ipsum invadunt, et e gloria ac possessione sua quasi exturbatum volunt. Rursum, uti ex sanguinis effusione hominem agnoscimus graviter vulneratum, et eo gravius, quo plus effundit sanguinis; ita e fluxu lacrymarum, quæ sunt quidam animæ sanguis, cognoscimus animam peccatoris valdesauciatam, et hoc ob amorem offensi summi boni sui. Propterea S. Greg. Nazianz. tract. II. de bapt. dixit: *Pœnitentes recipio, si lacrymis rigatos videro.* Tanta enim est inter animam et corpus connexio, ut nequeat facile animi dolor ita claudi interius, quin aliquo modo erumpat exterius: sicut nec strepitus ita contineri in superiori parte domus, quin redundet in partem inferiorem. Talia pœnitentiæ indicia dedere David, Magdalena, Petrus aliique pœnitentes. Sane de Magdalena et Petro lacrymas profundentibus, nihil legimus quod dixerint. solæ amborum lacrymæ testes sufficientissimi fuere pœnitentiæ ipsorum. Unde S. Ambros. in Lucam ait: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem (hoc est excusationem) non lego;* quia scilicet ipsius lacrymæ satisfactio proprie dicta (non excusatio) et peccati expiatio fuerunt. Unde ibidem ait Ambrosius: « Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri: lacrymæ veniam non postulant, sed merentur. » De congruo intellige, ut loquuntur theologi, non de condigno.

Denique, eo pertinent quæcumque afflictiones, pœnitentiæ causa susceptæ; quæ omnes ducunt peccatorem ad Christum, eique reconciliant, ac proinde nequaquam vanum pœnitentiæ sunt indicium. Talis fuit afflictio Jobi, qui, ad levis-

sima licet expianda peccata, vexationem sibi a dæmone irrogatam auxit alia spontanea, sedendo foris in sterquilino, cum utique domum haberet, in qua sine dubio commodius et absque pudore suis consulere miseris posset, ut expendit Divus Thomas. Talis Davidis regis, quando fugere Absalonem habitu pœnitentiæ pedibus incedens maluit, quam intra munitiones se tueri et armis defendere; donec, ita placato Domino, exercitum conscribere cogere: rursus quando ob peccatum suum et filii desperatam valetudinem pronum in terra jacuit jejunos, etc. Omnia hæc et similia opera pœnalia sinceræ pœnitentiæ non inania sunt argumenta, præsertim quando quis agnoseit parum adhuc et nihil esse quidquid pro peccatis suis patitur et agit proinde ad majora alia et quæcumque tandem supplicia sustinenda paratus; adeoque non modo non deprecatur pœnam, sed minus esse intelligit quidquid tandem patitur, dicens cum Hebræis illis, Judic. X. *Peccavimus, redde tu nobis, qui quæ tibi placet, tantum nunc libera nos,* quando cum Jona dicit: *Si propter me orta est hæc tempestas, mittite me in mare,* Jonas I. et cum Davide: *Ego sum qui peccavi, vertatur obsecro manus tua contra me,* II. Reg. XXIV. Hi sunt passus, quibus ad Christum itur et vera pœnitentia demonstratur; quos etiam in parabola filii prodigi non obscure ostendit Christus, quando asserit eum in se reversum dixisse: *Surgam et ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater peccavi in caelum et coram te.* In verbo *surgam* habemus agnitionem et detestationem peccatorum: in verbo *ibo ad patrem* habemus externas corporis afflictiones: in verbo *dicam* habemus propriam accusationem. Quisquis ergo potentia resipiscentiæ et suæ cum Deo reconciliationis indicia quærit, his vestigiis insistat: surgat, fabuletur, ambulet cum Romano illo adolescente; vel cum hodierno resideat, loquatur, et ad Christum vadat.

CONCIO III.

CIVITAS PULCHRA QUENAM.

I. Quæ speciosas habet turres, hoc est, magistratus bonos. — II. Quæ curiam habet magnificam, hoc est, justitiam bene administratam. — III. Quæ domos habet ornatas, hoc est, honestos incolas. — IV. Quæ domos habet pulchro ordine constructas, hoc est, legum observantiam. — V. Quæ plateas habet amplas, hoc est, pacem, concordiam. — VI. Quæ plateas habet mundas, hoc est, si sua quisque, non aliena curet. — VII. Quæ habet vicus stratos et complanatos, hoc est, liberos a scandalis. — VIII. Quæ templum habet nitidum, hoc est, cultam pietatem.

THEMA.

Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim. Luc. VII. Ita usus jam obtinuit, ut cum laudare civitatem

aliquam volumus, a pulchritudine laudemus. Si quam enim laudes a magnitudine, non satis laudasti: si a loci situ et amœnitate, necdum extulisti: si a divitiis, parum adhuc dixisti: si a monumentis, necdum satis laudasti. Pulchritudinem et decorem ejus prædicare debes, ut dignis eam laudibus celebres. Hujusmodi fuisse videtur Naim, de qua in hodierno evangelio: siquidem vocabulum pulchræ civitatis sortita est: (nam Hebr. idem est, quod *pulchra*, seu *pulchritudo*.) utique ab ipsius pulchra structura, turrium ædiumque decore et similibus ornamentorum. Commendari etiam nostra civitas potest a præcellentia metropolitanæ, a munitione, ab excelso archiducali regimine, ab alma studiorum universitate, a situ et amœnitate loci. Nondum tamen satis videor eam laudasse, nisi etiam pulchram, nisi Naim dicam. Sed qui talem appellem, si pulchritudine non excellit? Video modum, auditores, si nimirum pulchra et ornata sit bonis moribus. Pulchritudo hæc moralis nulla comparatione superat alteram artificialem. Illam autem habere, si velit, potest. Itaque, ut velit, laboremus. Pulchra ergo civitas est:

I. Quæ speciosas habet turres. Per has jure merito intelligo civium capita et magistratus, qui præ cæteris eminent et in conspectu omnium sunt, quemadmodum et turres supra civium domos exstant. Sic appellantur Isa. XXX. *Erunt super omnem montem excelsum elevatum rivi currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres.* Ubi per turres intelligit principes et capita gentilium, quæ dum starent, continebant adhuc gentilismum in flore et vigore; ubi vero ea prostrata sunt sub Constantino M. tunc una cum illis cecidere gentiles reliqui, et cœpit prorumpere evangelium velut rivus aquarum, et irrigare totum orbem. Quamdiu turres stant, tamdiu civitatem defendere possunt; si ruant, eam subruent. Hinc Deus Heli sacerdoti dat signum ruituræ familiæ suæ, ruinam duorum primogenitorum suorum Ophni et Phinees, velut turrium familiæ, I. Reg. II. ̄ XXXIV. Tanti nimirum est exemplum principum et magistratus, ut secum aut sternat aut conservet subditos. Hinc Carolus V. imp. urbes obiens, solebat in iis requirere tria p. æquis videlicet in urbe esset prætor, pastor, præceptor. Ex his enim tribus capitibus dijudicabat cives, et quidem convenienter ss. litteris. Sic enim Eccl. X. dicitur: *Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Quemadmodum enim is, qui per compendium vult inspicere totam civitatem ejusque situm ac formam, ascendit unam, civitatis turrin, inde totam lustrat; sic Carolus V. e tribus illis p.

IV. PARS ÆSTIVALIS.

quasi e totidem turris, statim deprehendit quæ pietas, quæ politia in civibus, quæ in juventute esset disciplina. Probat hoc Plutarchus, tract. de his, qui sero a num. pun. exemplo herbæ, quæ eryngium, dicitur. Hæc enim, si in capræ unius os immittatur, grex totus sistit donec a caprario ei eximatur. Sic etiam, si superiores sese Deo sistant, grex totus sistet se, et quidquid ipsi præstiterint, subditi imitantur. Consentit Jerem. cap. XXI. dicens: *Qui stulte egerunt pastores, propterea non intellexerunt, et omnis grex eorum dispersus est,* Hebr. *quia ut bruta effecti sunt pastores.* Quid mirum si, bruto pastore præeunte, brutus grex sequatur? Exempla quærimus? Philippus Macedo, pessimus rei suæ dispensator extitit: sic et sui omnes, Athenæo auctore, l. IV. c. XX. Nero libidini deditus, noctu lupanaria obibat: idem imitati sunt subditi; itaque: *In modum captæ civitatis nox agebatur,* ut Tacitus, l. XIII. annal. Idem videre erat in Saul, I. Reg. XV. in Manasse, IV. Reg. XXI. II. Paralip. XXXIII. *Rex Joas, inquit Josephus, l. IX. antiq. cap. VIII. a pristina religionis cura facile descivit, mox que et principes populi consimilem in modum depravati sunt, adeo ut nihil antiquius haberent quam juris et justitiæ contemptum.*

II. Quæ curiam habet magnificam in medio civitatis, veluti in corde positam, ut omnibus pari celeritate possit adesse periculis, et ab omnibus adiri, totamque civitatem inspicere. Curia domus justitiæ est, quæ tunc civitatem condecorat, quando omnibus ex æquo, sine personarum acceptione administratur. Representavit hoc Calanus philosophus Alexandro M. in corio sicco: illi enim in limitibus dum insisteret, subsiliebat; dum vero in medio id calcabat, totum conquescebat, Plut. in Alex. Non quiescet civitas, nec acquiescet magistratus, nisi in medio is constitutus, jus ex æquo omnibus dicat. Id injunxit Deus judicibus, Deut. I. dicens: *Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est,* h. e. Dei vices geritis; qui æquissimus cum sit, non respicit personam. Cujus sane vices exacte gessit Hebræorum judex Samuel, quando ab eo jussus ungere in regem e filiis Isai magis idoneum, omnes sibi sisti, nullo excepto, voluit, ut omnium talenta exploraret, nec aliquis conqueri posset, se non esse visum et auditum, adeoque injuste reprobatum. Cumque illi primum adducerentur seniores per ordinem, omnes repudiavit, et natu minimum Davidem, quem Isai neglexerat, ipse digniorem viderat, unxit in regem, et quidem: *In medio fratrum ejus, ut habetur, I. Reg. XVI. Causam dat S. Greg. in*